Jahresbericht

des

Königl. Katholischen Gymnasiums

zu Glogau

für das Schul-Jahr $18^{47}/_{48}$,

womit

zu der am 25sten und 26sten September zu haltenden

öffentlichen Prüfung aller Klassen

und

der auf den 30sten September festgesetzten

Schlussfeierlichkeit

alle Gönner und Freunde der Anstalt

gehorsamst und ehrerbietigst einladet

Dr. Ed. Wentzel,

Director des Gymnasiums, Ritter des rothen Adlerordens IV. Klasse.

Inhalt:

Glogau, 1848.

Gedruckt bei Carl Flemming.

Qua ratione

juvenes Romanorum viam ad munera publica ineunda et summa cum laude administranda sibi muniebant?

scripsit

A. J. Seidel,
Professor.

1848.

Quum hoc anno munus mihi oblatum esset ad examen publicum invitandi, quaerenda fuit materia scribendi non admodum larga, ne libellis superiorum annorum copiose scriptis magni afferrentur nostro aerario sumptus. Qua de causa elegi rem, quam omnes intelligent juvenibus etiam nostrae aetatis esse accommodatam, praesertim quum his ipsis temporibus firmiora fundamenta publicae civium virtutis atque industriae ponantur.

---

§. 1.

Cicero quum et tempora antiqua reipublicae Rômanae laeta memoria repeteret, et ea tempora, quibus ipse non solum praesens aderat, sed intererat, tristi mente consideraret, praeclare ac juste in altero de Officiis libro [1]) imperium Romanum, quo nullum exstitit majus, nominandum patrocinium orbis terrarum verius quam imperium censuit. Notissimum est illud quoque, quod Graeci se esse rati liberatos a Romanis, exclamabant laetabundi apud Livium: [2]) „Esse aliquam in terris gentem, quae sua impensa, suo labore ac periculo bella gerat pro libertate aliorum; nec hoc finitimis aut propinquae vicinitatis hominibus aut terris continenti junctis praestet, sed maria trajiciat, ne quod toto orbe terrarum injustum imperium sit, et ubique jus, fas, lex potentissima sint. Una voce praeconis liberatas omnes Graeciae atque Asiae urbes. Hoc spe concipere, audacis animi fuisse: ad effectum adducere, virtutis et fortunae ingentis.“ Praeterea cum animo tuo reputes velim, quam egregia fuerint illa humanitatis praecepta,

---

1) cf. Cic. de Offic. lib. II. cap. 8.
2) cf. Liv. XXXIII, 33.

quae Cicero [3]) Quinto fratri Graecos gubernanti tradidit. „Si te sors, inquit, Afris aut Hispanis aut Gallis praefecisset, immanibus ac barbaris nationibus, tamen esset humanitatis tuae, consulere eorum commodo et utilitati salutique servire. Cum vero ei generi hominum praesimus, non modo in quo ipsa sit, sed etiam a quo ad alios pervenisse putetur humanitas: certe iis etiam potissimum tribuere debemus, a quibus accepimus. Non enim me hoc jam dicere pudebit, praesertim in ea vita atque iis rebus gestis, in quibus non potest residere inertiae aut levitatis ulla suspicio, nos ea, quae consecuti sumus, his studiis et artibus esse consecutos, quae sint nobis Graeciae monumentis disciplinisque tradita. Quare praeter communem fidem, quae omnibus debetur, hoc nos isti hominum generi praecipue debere videmur, ut, quorum praeceptis simus eruditi, apud eos ipsos, quod ab iis didicerimus, velimus expromere.“ Quis est, qui ignoret illud castissimum Scipionis in Hispania facinus, qui, quum virginem admodum formosam atque venustam, quae a Romanis capta erat, sponso redderet illibatam, hunc in modum teste Livio [4]) locutus est: „Fuit sponsa tua apud me eâdem, qua apud soceros tuos parentesque suos, verecundia; servata tibi est, ut inviolatum et dignum me teque dari tibi donum posset. Hanc mercedem unam pro eo munere paciscor, amicus populo Romano sis, et, si me virum bonum credis esse, quales patrem patruumque meum jam antehac gentes norant: scias, multos nostri similes in civitate Romana esse, nec ullum in terris populum hodie dici posse, quem minus tibi hostem tuisque velis aut amicum malis.“ Unde merito is, qui recepit sponsam, laetus implevit populares laudibus Scipionis: „venisse diis simillimum juvenem, vincentem omnia quum armis, tum benignitate ac beneficiis.“

§. 2.

Neque vero tale nominis ornamentum contigisset Romanis, nisi ipsi humanitate eximie exculti et res non solum externae, sed domesticae etiam optime constitutae essent. Nam opportune Valerius Maximus: [5]) „Quid enim, ait, prodest, foris esse strenuum, si domi male vivitur.“ Neque Cicero, reipublicae Romanae non clarissimus solum orator, sed clarus etiam imperator dubitavit quaerere, [6]) essentne res bellicae majores quam urbanae; nec dubitavit domesticas praeferre militaribus, certe rerum militarium amplissimam fortunam in domestica et privata civium institutione constituere, similiter atque corpore

3) Cic. in Epp. ad Quint. fratrem, lib. I, ep. 1.
4) In libr. XXVI, 50.
5) In Memorabil. libr. II, 4.
6) Cic. in lib. I. de Offic. cap. 22.

praestantior est animus, difficiliusque, [7]) saepe, civem regere quam hostem superare. Quae quum ita sint, operae pretium videtur, paucis quibusdam lineis adumbrare, quae ars et disciplina Romanos reipublicae prospere administrandae et amplificandae idoneos reddiderit.

§. 3.

Quicunque publica quondam Romanorum explendescebat luce, is elementis literarum perceptis, quum decimum septimum egisset annum, sumpta virili toga deducebatur a patre vel a propinquis ad virum clarum, ex quo reipublicae gerendae rationem cognosceret, et praecipue juris civilis peritus existeret. [8]) Illud ut facilius assequeretur adolescens, non solum saepe eum adibat, sed in forum etiam, ut forensi strepitu sensim assuesceret, sectabatur, atque adeo nunquam a praeceptoris latere discedebat. Cujus moris veteres scriptores mentionem saepe faciunt, inprimis Tacitus in Dialog. de Oratoribus cap. 34—36, dicens: „Ergo apud majores nostros juvenis ille, qui foro et eloquentiae parabatur, imbutus jam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur a patre vel a propinquis ad eum oratorem, qui principem locum in civitate tenebat. Hunc sectari, hunc prosequi, hujus omnibus dictionibus interesse, sive in judiciis, sive in concionibus assuescebat, ita ut altercationes quoque excipere, et jurgiis interesse, utque sic dixerim, pugnare in proelio disceret etc.“ Et cap. 36. „Quanto quisque plus dicendo poterat, tanto facilius honores assequebatur, tanto magis in ipsis honoribus collegas suos anteibat; tanto plus apud principes gratiae, plus auctoritatis apud patres, plus notitiae ac nominis apud plebem parabat. Hi clientelis etiam exterarum nationum redundabant; hos ituri

---

7) veluti Fabio apud Livium lib. II, 43.

8) cf. Cic. de Amicit. cap. I. „Ego autem a patre ita eram deductus ad Scaevolam, sumpta virili toga, ut, quod possem et liceret, a senis latere nunquam discederem; quo mortuo me ad pontificem Scaevolam contuli, quem unum nostrae civitatis et justitia praestantissimum audeo dicere.“ Quocirca opportune Garve in opere, quod inscripsit: *„Philosophische Anmerkungen und Abhandlungen zu Cicero's Büchern von den Pflichten. Sechste Auflage, Breslau* 1819; *zum zweiten Buche, S.* 170: *„Anhang einer Vergleichung zwischen dem Ciceronianischen Zeitalter und dem unsrigen,“* dicit: *„Ehedem war es eine Empfehlung für einen jungen Kandidaten des Ruhmes, wenn er sich immer in Gesellschaft eines angesehenen Staatsmannes in der Stunde, da dieser seine Geschäfte trieb, sehen liess. An dessen Stelle ist gegenwärtig für den jungen Menschen von Stande eine andere Empfehlung getreten, wenn er die gute Gesellschaft in seinen Erholungsstunden liebt und sucht. So wie ihm das Kabinet des Fürsten, die Arbeitszimmer der Minister verschlossen sind, hingegen zu Rom Alles, was jetzt in diesen verhandelt wird, der Beobachtung des jungen Menschen offen stand, und seine Gegenwart zuliess: so sind ihm hingegen die Assembleensäle geöffnet, die im Alterthum unbekannt waren.“* Sed his ipsis temporibus, quibus publica civitatis administratio et gubernatio valde commutata est, isti rationi ne apud nos quidem jam locus erit.

in provincias magistratus reverebantur, hos reversi colebant; hos et praeturae et consulatus vocare ultro videbantur.“ Similiter Cicero [9]) primum Scaevolae auguri, deinde pontifici Scaevolae, jurisperitorum eloquentissimo se operam navasse refert; qui quum ipse jam inclaruisset in foro, Caelium, Pansam, Hirtium et Dolabellam exercuit et foro praeparavit. Quintilianus [10]) quoqe narrat, Caesarem Augustum duodecim annos natum aviam pro rostris laudasse; anteaque Calvum, Caesarem, Pollionem multum ante quaestoriam omnes aetatem gravissima judicia suscepisse. Praeterea Plinius [11]) de impudentia questus, qua juvenes suo tempore ad res publicas proveherentur, addit, apud majores ne nobilissimis quidem adolescentibus licuisse, forum inire nisi comitatu nobilissimi aut consularis viri. Idem Plinius [12]) Rufum quendam commemorat, quem in forum producturus esset, unde materia ei et occasio inclarescendi praeberetur. Memoratu quoque dignum est, quod apud Livium [13]) legimus, Scipionem, qui postea Africani nomen accepit, ex quo togam virilem sumsisset, nullo die prius ullam publicam privatamque rem egisse, quam in capitolium iret ingressusque aedem consideret, et plerumque tempus in secreto ibi tereret, indeque stirpis sibi divinae fidem apud populum faceret, et matura aetate maximum imperium acciperet.

Jam supra dictum est, virum illum, cui adolescens traderetur erudiendus, magna semper in republica fuisse dignitate, vel ut Taciti [14]) verbis utar, eum oratorem fuisse, qui principem locum in civitate teneret. Quod eâ praecipue causa factum est, ut praeceptoris dignitate sibi dignitatem adolescentes afferrent ipsi, famamque apud populum et existimationem. [15]) Talium enim virorum facinoribus omnibus et sermonibus qui intererant, populum in eam opinionem adducebant, ut putaret: „similes eorum fore, quos tamquam exemplar, ad quod dirigerent imitandi studium, sibi proposuissent.“ Sic ad altiores dignitatis gradus ascendit P. Rutilius, [16]) qui clarum et immaculatum juris periti nomen P. Mucii familiaritate atque consuetudine est assecutus.

§. 4.

Deinde juvenes Romani, quorum institutionem describimus, contubernales imperatorem quendam clarum secuti militiâ per aliquot annos fungebantur; de quibus legimus in Plin. epp.

---

9) cfr. Cic. in Brut. capp. 76. 89.
10) Quintil. instit. Orator. lib. XII, 6.
11) Plin. minor. in epp. lib. II. 14.
12) Idem in epp. lib. VI, 23.
13) Apud Liv. lib. XXVI, c. 19. item apud Valer. Max. Memorabil. lib. I, 3.
14) Tacit. in dialog. de Orator. cap. 34.
15) Teste Cicerone in lib. II. de Offic. cap. 13.
16) In eodem loco Ciceronis, lib. II, de Offic., cap. 13.

lib. I, 10: „Si quando urbs nostra liberalibus studiis floruit, nunc maxime floret. Multa claraque exempla sunt. Suffecerit unum, Euphrates philosophus. Hunc ego in Syria quum adolescentulus militarem penitus et domi inspexi, amarique ab eo laboravi." Idem in epp. lib. III, 11. dicit: „C. Musonium, (philosophum Stoicum equestris dignitatis teste Tacito, histor. lib. III, 81.) et Artemidorum jam tum, quum in Syria tribunus militarem, arcta familiaritate complexus sum; — nam ex omnibus, qui nunc se philosophos vocant, vix unum aut alterum invenies tanta sinceritate, tanta veritate," —. Verumtamen in ipso armorum tumultu colebant [17]) literas. Id autem faciebant, ne, quum nollent ducis vel alius militaris dignitatis honorem adipisci, tamen, postquam Senatores aut proconsules provinciarum facti essent, in rerum bellicarum administratione apparerent rudes, utque faciliorem ad omnes belli forique magistratus pararent aditum.

§. 5.

Summam vero operam ponebant in eloquentiae studio, eoque consilio adibant Graeciam, quae semper habebatnr domus cum omnis doctrinae, tum vero eloquentiae. Ab Homero quoque pueri Romani [18]) literarum studium auspicabantur et juvenes Graecos philosophos frequentabant. Itaque Cicero [19]) adolescens Romae ex philosophis Graecis, qui illo tempore in Urbem frequenter confugerant, usus est potissimum Philone, principe Academiae, tum Rhodi Apollonio Molone, quem jam Romae audierat. Etiam Posidonium, [20]) philosophum Stoicum frequentabat et Athenis cum Antiocho, veteris Academiae nobilissimo philosopho, studium philosophiae [21]) renovavit; tum vero apud Demetrium Syrum, nobilem dicendi magistrum, exercebatur. Deinde tota Asia perlustrata, studiose cum omnibus, qui tum primi in Asia florebant, rhetoribus disputavit,

---

17) cf. Sueton. Caligul. cap. 45.

18) cf. Quintil. Inst. Orat. lib. I, 12. et Plin. Epp. lib. II, 14: „sic a foro a centumviralibus caussis auspicari, ut pueri ab Homero in scholis." Similiter Cic. Epp. ad famil., 18: „Lepta suavissimus ediscat Hesiodum et habeat in ore: „„Τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν ἀθάνατοι· μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐς αὐτὴν καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται, ῥηΐδίη δὴ ἔπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα."" Teste Plinio Epp. lib. I, 13. III, 15. IV, 7. V, 3. VII, 19. VIII, 12. 21. fuit quoque apud Romanos more receptum, ut priusquam quis librum a se publicandum bibliopolis traderet, collectis familiaribus et amicis quam plurimis recitaret et dijudicandum proponeret.

19) Cic. in Bruto, capp. 89. 90 — 92.

20) De quo lege Cic. Tuscul. II., 25. Brut. capp. 76. 78. 89. — 91. Quintil. Instit. orator lib. XII. 6 et 7.

21) Cic. de Offic. lib II., 1: „nihil agere autem quum animus non posset, in his studiis ab initio versatus aetatis, existimavi, honestissime molestias posse deponi, si me ad philosophiam retulissem." —

veluti cum Dionysio Magnete, Aeschylo Cnidio, Xenocle Adramytteno. Hisce cum omnibus Graeco semper disputabat sermone, quum Graeca [22]) oratio plura ornamenta suppeditaret, et consuetudinem et facultatem similiter latine dicendi afferret. Huc accessit, quod magistratibus exterarum gentium Romanis maxime necessaria fuit Graeci cognitio sermonis, qui per Alexandri M. victorias in usum totius orbis celeberrimum [23]) venerat. Hoc vero modo Graecam et Latinam disputationem Cicero conjunxit usque ad illud tempus, [24]) quo praetor factus est. Eodem plane modo Brutum exercebat Pammenes, Graeciae illo tempore homo eloquentissimus, [25]) atque Servius Sulpicius Rhodum suscepit iter literarium, quo melior fieret ac doctior. Quin etiam [26]) commentationes crebrae addebantur et exercitationes tum dicendi, tum scribendi causis veris fictisque peroratis. Haec omnia eo potissimum consilio [27]) fecere, ut gloriam famamque consecuti forum et rostra obtinerent, quandoquidem illis duabus eloquentiae ac juris artibus [28]) maxima erant proposita praemia, quibus dignitas cum auctoritate [29]) contingeret.

§. 6.

Jam vero ut eloquentiam consequerentur rerum et argumentorum gravitate conspicuam, perscrutabantur [30]) maxime antiquitatis historiam. Nonnulli tamen, ut Curio et Arrius [31]) inveniuntur, qui, quamvis in omni genere liberalium artium indocti essent ac rudes, nihilominus in aliquem patronorum numerum venerint. Nec id mirum est, quoniam veteribus Romanis non tanta fuit orationis limandae industria vel sollicitudo, quanta religiosa fuit veritatis cura. Veluti Cato ille Major gravitate

---

22) cf. Cic. Brut. cap. 92.
23) Cic. pro Archia poeta, cap. 10: „Si quis minorem gloriae fructum putat ex Graecis versibus percipi quam ex Latinis, vehementer errat, propterea, quod Graeca leguntur in omnibus fere gentibus, Latina suis finibus, exiguis sane, continentur.“ — Item Seneca in consolat: ad Helviam cap. 6.: „Quid sibi volunt in mediis barbarorum regionibus Graecae urbes? quid inter Indos Persasque Macedonicus sermo? Scythia et totus ille ferarum indomitarumque gentium tractus civitatis Achaiae ponticis impositas litoribus ostentat.“ —
24) teste Suetonio de claris oratorib. cap. 1.
25) cf. Cic. Brut. cap. 97. et cap. 41.
26) Cic. in Bruto capp. 78. 89. De Oratore, lib. I., 34. II., 13.: „Stilus optimus et praestantissimus dicendi effector et magister.
27) cf. Cic. in Brut. capp. 42. et 82.
28) Cic. in Bruto capp. 45. 49. et in lib. de Oratore I., 4.
29) Cic. in Brut. c. 28. et epp. ad Diversos lib. IX., 18. Oratoris cap. 28.
30) cfr. Plin. epp. lib. I., 22. et Cic. de Oratore lib. I., 5. Brut. capp. 21. 39. 58. Cato M. cap. 4. et in Orat. cap. 34.: „Commemoratio antiquitatis exemplorumque prolatio summa cum delectatione auctoritatem orationi affert et fidem: — sic instructus veniet ad causas.“ —
31) De quo legas Cic. in Bruto cap. 59. et cap. 69.

rerum probatus aequalibus, sed oratione visus est asper et horridus. Optime Plutarchus in vita Catonis cap., 12. veteres illos Romanos laudaturus ait:

„Τὰ ῥήματα τοῖς μὲν Ἕλλησιν ἀπὸ χειλέων,
Τοῖς δὲ Ῥωμαίοις ἀπὸ καρδίας φέρεσθαι.“ —

§. 7.

Verumtamen ut, ubi constitit, referatur oratio: eum in modum juris et antiquitatis scientia instructus facultateque dicendi exornatus fuit adolescens Romanus: egressus est ex studiorum umbraculis in solem ac pulverem, et rostra ascendit, ab accusationibus improborum et defensionibus bonorum hominum exorsurus. Etenim ipso Cicerone teste [32]) maximam gloriam et gratiam oratori afferebant defensiones eoque majorem, si quando accidit, ut qui defenderetur, esset innocens et in vitae discrimen adductus. Sic Cicero, [33]) quum caussam pro Roscio diceret, auditus est cum admiratione, exceptus clamoribus et maximis celebratus laudibus. Item accusatione Carbonis, [34]) defensione Liciniae virginis vestalis C. Crassus summam admirationem consecutus descendit de rostris, clarissimus et ex turba patronorum mature in locum principum oratorum venit. Haud aliter P. Sulpicius [35]) C. Norbano in judicium vocato victor ex acie forensi summa cum gloria exstitit.

Hac igitur ratione, quum jam fere omnibus esset in ore, haberetque nomen celebratum civis Romanus: viam gloriae civilis sibi patefecit, facilemque ad summos in republica honores aditum sibi comparavit. —

32) Cic. de Offic. lib. II., 14. ad eumque locum consulas Garvium l. l. pagg. 114 — 119.
33) Cic. in Oratore cap. 30.
34) Cic. in Brut. cap. 43.
35) cf. Cic. orat. pro lege agraria II., 1. et pro Muraena cap. 7.